



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Commentariorvm, Ac Dispvationvm, In Tertiam Partem Divi Thomae. Tomi Qvinqve

Qui Est Primvs De Sacramentis: In Qvo Ea Continentvr, Qvæ Post
Præfationem Indicantvr

Suárez, Francisco

[Köln], 1619

7 Quid designet in forma ly, hoc, vel, hic.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-93807](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-93807)

elici efficere, quia vera practice sunt. In his igitur formarum verbis primo intelligitur materialis verborum fonus, deinde significatio, postea conformitas cum intentione & potestate loquentis, quæ est veritas practica, ex hac subinde subsequitur efficientia, & consequenter præsentia corporis Christi, ac tandem speculatiua veritas, quæ confurgit, posito illo effectu, qui est terminus conformitatis.

SECTIO VII.

Quid designetur in forma per pronomen, hoc, vel, hic.

De sensu harum formarum diximus multa supra disputatione 46. agentes de reali præsentia corporis Christi in hoc sacramento: ubi conclusimus, illo pronomine (hoc) designasse Christum id, quod habebat in manibus, & discipulis tradebat, in quo Catholici omnes conueniunt, dissentiunt tamen in explicando in particulari, quid illud sit, an substantia panis, an accidentia, an Corpus Christi, an aliquid commune.

Prima sententia. Primus modus explicandi hanc sententiam.

Bonau. Ocham. Valdens.

Prima sententia est, pronomen (hoc) designare panem. Quod variis modis exponitur, primo, ut reuera designet panem, quatenus in sua substantia adhuc permanet: totam autem propositionem non esse substantiue, sed transitiue interpretandam, scilicet (hoc est corpus) id est transit in corpus, seu ex hoc sit corpus. Ita Bonau. d. 3. parte. 2. & idem fere docet Ocham, in 4. d. 8. & Holcot. qu. 3. insinuat etiam Valdens. to. 2. capit. 50. in fine. Sed hæc opinio nullo modo à Catholicis sustinenda est: corrumpit enim propriam significationem verbi (est) quod si semel permittatur, nulla est vis in huiusmodi verbis ad probandam realem præsentiam Corporis Christi, ut ex supradictis patet. Item probari non poterit, substantiam panis hic non manere, quia, sicut ipsi exponunt (hoc) id est, panis, transit in corpus, ita hæreticus poterit exponere (hoc) id est, panis, retinet, vel repræsentat corpus. Præterea illud pronomen (hoc) positum in recto, & substantiue sumptum, non recte accommodatur ad rem præsentem, prout est nota sensibus, & per se patet, ut signato Petro, non recte dicitur (hoc) est doctor: vel quid simile, sed, hic, quia illud pronomen (hoc) sic vsurpatum designat rem sub conceptu valde confuso & vniuersali, sub quo non recte designatur res, quæ sensibus clare & distincte nota est: ergo non designauit Christus illo pronomine panem, quia est res masculini generis, & per se nota sensibus.

Secundus modus explicandi superio rem.

Tertius modus explicandi prædictam sententiam pugnat.

Secundus modus explicandi est, illud pronomen designare substantiam panis, non ut est in se, sed ut est conuersa in Corpus Christi, in termino prolationis verborum: Ita referunt antiqui Theologi. Sed hoc nihil est dictum: quia in instanti conuersionis non est panis, sed Corpus Christi, & panis ut conuersus, nihil est, nisi Corpus Christi. Tertius modus est, pronomen (hoc) designare substantiam panis, non ut panis est, sed ut hæc substantia, vel hoc ens. Sed hæc explicatio supponit falsam sententiam supra improbatam, quod eadem res vel substantia, quæ prius erat panis, sit postea Corpus Christi: nullo ergo modo illud pronomen potest designare panis substantiam, cum illa non possit vere dici, esse Corpus Christi, nisi metaphorice explicando significationem verbi (est) quod secundum rectam fidem fieri non potest.

2. Sententia.

Secunda principalis opinio est, pronomen (hoc) designare accidentia, seu species panis: quia illud pronomen designat rem sensibilem, quæ est eo tempore, quo fit designatio, & manet, quando perficitur significatio verborum: in hoc autem mysterio nihil est in principio prolotionis verborum, & permanet in fine præter accidentia. Hæc opinio tribuitur D. Tho. hic art. 2. & Ruard. artic. 13. Sed longe alia est D. Thomæ sententia, ut videbimus. Hæc vero opinio, si intelligat, sola accidentia proprie & in recto

§ Thom. Ruard.

designari, eadem ratione reicitur, quæ præcedens, oportet enim, ut corruptam, propriam significationem verbi (est) quia accidentia panis non sunt corpus Christi: exponitur ergo, hoc est, id est, hoc continet Corpus Christi, quod est dare anam sacramentatis, ut explicet (hoc est) id est, hoc significat corpus Christi. Si vero hæc opinio intelligat, designari accidentia non in recto, sed in obliquo, verum quidem dicit, sed non explicat difficultatem, scilicet quid sit illud, quod sub accidentibus in recto designetur.

Tertia sententia dicit, pronomen (hoc) designare Corpus Christi: quæ variis modis intelligitur. Primo, ut intelligatur corpus Christi, prout est in se, & in propria specie, quem sensum indicat Ocham, quodl. 2. quæstione. vlt. clarius Maior dist. 3. qu. vnica. in solutione 2. argumenti, dub. quarto. qui dicit, posse demonstrari corpus Christi prout est in celo, intendendo, quod prolatis verbis incipiat esse sub hostia hac. Sed hic sensus nullo modo potest adaptari verbis, quia verba non dicunt, hoc esse, vel incipere esse sub his accidentibus, sed, hoc esse corpus meum. Vnde supra, contra hæreticos argumentabamur, si pronomen (hoc) demonstraret corpus, ut est in propria specie, locutionem hanc fore valde friuolam, quia iohi indicaret rem: per se notam & claram, scilicet corpus Christi esse corpus Christi, & nihil pertinentem ad rem, de qua Christus agebat, cuius sacramentum panis & vini dulcibus distribuebat: vnde iuxta illam expositionem, nec præsentia corporis Christi, nec transmutatio panis ex vi verborum significaretur. Adde denique, cum corpus Christi, prout nunc est in propria specie, sit absens, non posse proprie designari pronomine (hoc).

Quarta ergo opinio sit, demonstrari illo pronomine (hoc) corpus Christi prout est sub accidentibus panis in termino prolotionis verborum. Ita sentiunt Alenq. q. 43. membr. 3. art. 2. §. 1. Maior supra, Marfil. in 4. q. 6. ar. 1. dub. 7. Gab. lect. 48. & 52. in Canonem. Ri. char. d. 3. art. 3. q. 1. Angel. verb. Eucharist. 1. Ex quibus authoribus Alenis & Maior dicunt, designari corpus Christi, ut significatum per accidentia panis, ut sensus sit: hoc, quod significatur his accidentibus est corpus meum. Sed accurate hoc interpretandum est, quia absolute dictum continere potest sensum hæreticum: quia possit corpus Christi significari per accidentia panis, etiam si non esset præsens, & verum esset dicere, quod significatur per hæc accidentia, est Corpus Christi: sed hi auctores catholice explicanti, demonstrari corpus, ut significatum per accidentia, tanquam realiter præsens, & contentum sub illis, & in idem fere redit, quod Marfilus & alii exponunt, sensum verborum esse: hoc, in quod panis conuertitur, est corpus Christi: non formaliter sub ratione termini conuersionis, hoc n. gratis & sine fundamento diceretur, sed materialiter, quia, scilicet, demonstratur, corpus Christi. Fundamentum autem huius opinionis si explicatæ, est, quia in propositionibus practicis & effectiuis, subiectum, si sit aliquod pronomen demonstratiuum, demonstrare solet ipsum prædicatum, sed talia sunt verba confectionis: ergo in eis subiectum (hoc) demonstrat prædicatum, quod est corpus Christi. Maior patet, primum exemplis, si quis describendo circulum dicat: hoc est circulus: vel si Christus ad conuertendam aquam in vinum diceret: hoc est vinum: vel si Deus daret virtutem his verbis: hic est angelus: ad producendum angelum: in his enim intelligitur subiectum demonstrare prædicatum. Ratio est, quia in hoc genere locutionis est veluti suspensa significatio, & demonstratio subiecti, donec absoluta sit propositio: includit enim quædam necessariam habitudinem ad prædicatum ipsum. Optimum exemplum esset, si Christus confectionis his verbis: hoc corpus meum vobis trado, non confectione conuersionem vsq. ad vltimum instant verborum, quod non fuit impossibile, & tunc recte intelligitur subie-

subiectum demonstratū fuisse corpus Christi, quamvis non adit, donec absoluantur verba, vel, si transmutato propositionem diceret: corpus meū est hoc, vel sicut in Græcis exemplaribus legimus, 1. ad Cor. 11. Hoc meum est corpus: ubi particula (meum) licet prius proferatur, ad corpus refertur: ergo necesse est totam significationem extremorum esse suspensam, donec absoluantur propositio, & ita nihil obstat, quominus demonstratio subiecti ad prædicatum ipsū referatur: sicut in hac propositione, Pater respicit filium: subiectum perfecte percipi nequit sine prædicato. Contra hanc vero sententiam obici solet, tum quod iuxta illam interpretationem propositio esset identica: tum etiam, quia per hanc formam non fit, ut corpus Christi sit corpus Christi, ergo neque hoc forma significat quod facit: ergo in illo subiecto non demonstratur corpus Christi, tum denique, quia in propositionibus, in quibus subiectum demonstrat prædicatum, si res significata non supponatur toti propositioni, poterit quidem demonstrari ad intellectum, non tamen ad sensum: quia sensui non ostenditur, nisi, quod iam est præsens, & existit: hic autem fit demonstratio ad sensum: ergo, cum corpus Christi non adit, quando pronomen (hoc) proferitur, non poterit per illud demonstrari. Sed hæc satis probabiliter dissolui possunt. Primo enim non magis sequitur, hanc propositionem esse identicam, quam omnem aliam, in qua subiectum demonstrat prædicatum, ut in hæc: Hic est filius meus delictus: quia, ut propositio non sit identica, satis est, rem eandem magis confuse demonstrari per subiectum, quæ prædicatum. Ad secundum responderetur, per actionem substantialem, præsertim quæ non sit ex præsupposito subiecto, non fieri proprie, ut vnum sit aliud, sed fieri ut aliquid sit, & ita in præsentem non fit, ut corpus Christi sit corpus Christi, sed ut corpus Christi sit sub speciebus. Quocirca licet per verba significetur id, quod fit, non tamen eo modo, quo fit: significatur enim complexe, & attribuendo vnum alteri: fit autem actione simplici, quæ corpus Christi sub speciebus constituitur: ac propterea, licet subiectum demonstrat prædicatum, non ideo in illa propositione significatur, corpus Christi fieri corpus Christi, sed significatur, corpus Christi esse, quod per actionem conuersivam fit, sicut in illo exemplo, si per hæc verba (hic est angelus) fieret angelus, non propterea significaretur, angelum fieri angelum, sed angelum esse, qui fit. Ex quo obicit optima reddi potest ratio, ob quam in hac forma melius dictum est (hoc est) quam: hoc sit corpus meum: quia, cum dicitur aliquid fieri tale, significatur tendentia vnius rei ad aliam, & distinctio aliqua inter rem & terminum, ad quem tendit: at vero cum dicitur, hoc esse tale, non significatur talis habitudo, seu distinctio. Ad tertium responderi potest, ut fiat demonstratio ad sensum, satis esse, rem, quæ demonstratur, fieri sensibiliter præsentem in fine prolationis verborum, ut, cum Christus dixit: hoc est præceptum meum, ut diligatis inuicem, non videtur tantum facta demonstratio ad intellectum, sed et ad sensum: quia demonstratum est præceptum, quod auditui statim obiectum est. Et potest etiam addi, inchoari quidem significationem per demonstrationem factam intellectui: terminari vero ad demonstrationem factam sensui, quod in omni sententia videtur necessarium dicendum, saltem secundum ordinem naturæ, ut sicut. hec verba prius natura demonstrant ad intellectum, quam ad sensum: quia verba hoc faciunt, quod significant, id autem significant, quod designant: illud ergo designant, quod faciunt, prius ergo natura designant, quam efficiant, quia prius natura, significant, quam efficiant, ut supra dictum est: ergo illa designatio ut ordine naturæ antecedit, fit ad intellectum, cum nondum sit res facta præsens sensibus. Et hæc sententia sic explicata & defensa, est valde probabilis, & absque vilo inconueniente.

Franc. Suarez Tom. 3.

Quinta tamen sententia est, illo pronomine formaliter ac per se primo designari aliquid commune substantiæ panis ac corpori Christi, commune (inquam) non secundum rem: illud enim nullum esse potest, ut supra contra Caietanum disputatum est, sed secundum rationem, seu denominationem, nimirum sub ratione contenti sub his accidentibus, ita ut sensus sit, hoc, quod sub his accidentibus, continetur, est corpus meum. Ita sentit Guitmund. libr. 2. de hoc mysterio in fine, & videtur esse sententia D. Th. hic art. 5. & in 4. d. 8. q. 2. art. 1. ad 1. quæst. 4. ad 1. Scoti. q. 2. art. 3. Durand. q. 2. ad 1. Capreol. art. 3. ad 1. Scoti. contra primam concl. & ad argumenta cont. 5. concl. Palud. q. 3. & aliorum ibi, Antonin. 3. part. tit. 13. c. 5. §. 4. & Ferrar. 4. contra gent. c. 63. Caietan. tom. 2. opusc. tractatu 2. c. 7. Iansenij, c. 131. Concord. Soto d. 11. q. 1. art. 5. Alcius d. libr. 4. tractat. 5. cap. 2. Egid. Theore. 4. 2. Victor. in Sum. num. 75. Ledelma. qu. 19. art. 5. & eandem sequitur Bellarm. lib. 1. de Eucharist. cap. 11. & Richar. & multi alij ex authoribus citatis in præcedente sententia non multū ab hac discrepant. Fundamentum huius sententiæ est, quia iuxta hanc explicationem, & veritas illius propositionis est facilissima, & accommodatissima propriæ significationi verborum, & valde apta ad explicandam conuersionem, quæ per hæc verba significatur, & efficitur. Explico singula, quia pronomen (hoc) substantiæ sumptum, demonstrat substantiam, quæ medijs accidentibus sensibus obicitur, ut constat ex vfu vocis in illis autem verbis Christi, pronomen (hoc) substantiæ sumitur, cum locum habeat integri subiecti in propositione illa: ergo designat, seu demonstrat in confuso ens siue substantiam contentam sub illis speciebus. Dices, rationem hanc non posse accommodari formæ calicis, ubi pronomen, non substantiæ, sed adiectiue sumitur, cum dicitur: Hic calix nouum testamentum est. Responderetur, apud Marthæū, & Marcum in texto Græco non legi (hic est) sed: Hoc est sanguis meus noui testamenti, & ita fuisse vertendum censet Iansen. c. 131. Concordiæ, & refert Cypri. Epist. 63. ita legentem. Refertur etiam Iustinus Mart. Apol. 2. in fine: Latinus tamen interpres vulgatus in masculino vertit (Hic est) & ita legunt antiqui Partes omnes, & vniuersa Ecclesia, ut videre licet in omnibus liturgiis, quæ in libr. 4. Biblioth. referuntur, & apud Cyprian. & Iuit. citatis locis, ita etiam habent emendatores codices. Et potest reddere eodem sensum: nam etiam pronomen masculini generis potest substantiæ accipi, ut apud Matth. c. 17. Hic est filius meus delictus: & Exodi 16. ubi interrogantibus Hebræis (Quid est hoc) Respondit Moyses: Hic est panis, qui de celo descendit. Quod si hæc adiectiue interpretetur subintelligendo aliquid, verbi gratia, hic homo, vel hic cibus, eodem modo interpretabitur terminus huius formæ, ut cū, dicitur (Hic est sanguis) subintelligi poterit, hic potus, vel hic calix, sicut expressius habent Lucas & Paulus. Et eadem ratione in forma panis subintelligi potest, cum dicitur (hoc est corpus) hoc edulum, vel hoc ens contentum sub his speciebus, & ita redit idem sensus, quem hæc opinio & ratio facta intendunt, quia semper subintelligitur demonstrari aliquid sub ratione communi ipsi panis & corpori Christi, vino ac sanguini, nimirum, sub ratione cibi, vel potus, edulij aut calicis, vel entis sub his speciebus contenti.

Deinde hinc patet, hanc interpretationem esse accommodatam propriæ significationi verborum: quia & pronomen (hoc) statim ac proferitur, demonstrat id, quod præsens est sensibus: ergo demonstrat contentum sub his accidentibus, quæ præsupponuntur, & subiciuntur sensibus, & demonstrat illud sub ratione confusa, sicut, contenti sub speciebus, quæ ratio tunc etiam præsupponitur existens, licet non in eadem re indiuidua, & materiali, in qua permanet in termino prolationis verborum: propositio tamē est

Ooo 3 vera

Quinta sententia.

Scotus.
Durand.
Capreol.
Palud.
Antonin.
Ferrar.
Caietan.
Iansen.
Soto.
Alcius d.
Egid.
Victoria.
Bellarm.
Led. sma.
Richard.

vera ac propria, quia non designatur hæc res materialis sub propria ratione, sed simpliciter aut formaliter sub ratione contenti sub speciebus, quod in fine prolationis est corpus Christi. Dices, imo videtur pronomen (hoc) designare substantiam illam, quæ tunc est sub accidentibus, quando ipsum profertur: quia illa est tunc præsens, & pronomen (hoc) demonstrat rem præsentem, imo proprie videtur demonstrare hoc sensibile, in quo includitur substantia, quatenus vnum concretum cum accidentibus componit. Et augetur difficultas, quia pronomen (hoc) ex propria impositione tantum designat substantiam, cui hæc accidentia inhaerent, quæ solum est substantia panis. Respondetur ex doctrina tradita, præcedente sectione, pronomen (hoc) posse considerari primo, per se, vt est simplex quidam terminus habens significationem incomplexam, & hoc modo significatio eius est vaga & multiplex, & quasi æquiuoca: cum enim signo (hoc) ibi sistendo, ex vi talis vocis possum designare, vel solum accidens, vel solum substantiam, vel compositum ex vtroq[ue]. Quapropter dum profertur talis propositio, suspensa est significatio illius termini, donec absoluta propositione determinatur. Secundo ergo potest considerari significatio huius vocis, quatenus est extremum alicuius propositionis, & componit vnum integrum significatum eius, quod nõ est, donec absoluat propositio, quia, vt Aristotel. dixit, propositio significat aliquid, quod sine extremis non est intelligere, & hoc modo significatio talis termini non est integra, donec absoluat propositio. Ad difficultatem ergo propositam respondetur, illud pronomen (hoc) non designare substantiam panis, cum primum profertur, cum tunc habeat, quasi suspensionem, & in definitam significationem suam; tantum ergo designat hoc sensibile seu contentum sub speciebus, quacumq[ue] ratione sub illis existat, in fine tamen prolationis determinatur ratione prædicati ad significandum, vel supponendum pro re contenta sub accidentibus, cui tale prædicatum possit conuenire.

Et hinc denique ostenditur, hanc interpretationem esse aptam ad significandam conuersionem quæ per hæc verba fit. Primum, quia per hæc verba hoc efficitur, scilicet vt contentum sub speciebus sit corpus Christi. Deinde, quia, cum in omni conuersione requiratur aliquid vtrique termino commune, hoc a se significatum est per subiectum huius propositionis. Vna tantum videtur superesse difficultas in hac sententia, quia iuxta prædictam interpretationem, hæc propositio, Hoc est corpus meum, non est singularis, sed indefinita, æquiuocans huic contentum sub his speciebus: est corpus meum: consequens est contra proprietatem pronominis demonstratiui (hoc) quod, sicut significat singularem rem, ita & singularem propositionem constituit, præsertim, cum sit demonstratio ad sensum. Soto respondet, interdum per hæc pronomina non demonstrari rem indiuiduam, sed communem, vt cum quis dicit: hæc herba nascitur in horto meo: illud pronomen, non significat hanc numero herbam, sed herbam huic similem. Quod exemplum videtur accommodatum, saltem ad probandum, huiusmodi pronomen demonstratiuum non semper demonstrare directe, & quasi in recto rem singularem & præsentem, sed satis esse, quod demonstrat aliquid cum habitudine ad rem singularem præsentem, vt in prædicto exemplo demonstratur herba, quatenus est similis huic, quæ sensibus obijcitur. Et ita in præsentem ex parte contenti, vt sic, est quasi indefinita propositio: tamen ex parte specierum, in ordine ad quas fit demonstratio sensibilis, est singularis: quia demonstratur contentum sub his numero speciebus, vnde formali ratione contenti potest quodam modo dici idem numero designari, quia est eadem numero forma, sub qua continetur.

Hæc duæ vltimæ sententiæ sunt probabiles, & magis in modo loquendi, quam re ipsa differunt: vltimæ vero simpliciter probanda est, quia constat, pronomen (hoc) non significare corpus Christi secundum propriam rationem eius, licet in prolationis verborum termino supponat pro illo tantum, & de illo verificetur prædicatum. Constat insuper, in principio prolationis pronomen (hoc) neq[ue] demonstrare definite ac determinate corpus Christi, neq[ue] omnino carere significatione, seu demonstratione aliqua: quia statim demonstrat aliquo modo accidentia, seu aliquid habens connexionem seu habitudinem ad illa, quod optime explicatur sub ratione contenti sub illis: ergo distincte nunquam designat corpus Christi, materialiter autem demonstrat illud in eo instanti, in quo absoluitur significatio verborum.

ARTICVLVS II.

Vtrum hæc sit conueniens forma consecrationis panis, Hoc est corpus meum.

AD secundum sic proceditur. Videtur, quod hæc non sit conueniens forma consecrationis panis: hoc est corpus meum. Per formam enim Sacramenti debet exprimi Sacramenti effectus. Sed effectus, qui fit in consecratione panis, est conuersio substantie panis in corpus Christi, quæ magis exprimitur per hoc verbum Fit, quam per hoc verbum, Est. Ergo forma consecrationis debet dici, hoc fit corpus meum.

2. Præterea, Ambrosius dicit in libro de Sacramentis. Sermo Christi hoc conficit Sacramentum, quis sermo Christi? hic, quo facta sunt omnia, inquit Dominus, & facta sunt celi & terra. Ergo forma huius Sacramenti conuenientior esset per verbum imperatiuum, vt diceretur, hoc fit corpus meum.

3. Præterea, Per subiectum huius locutionis importatur illud, quod conuertitur, sicut per prædicatum importatur conuersionis terminus. Sed sicut est determinatum id, in quod fit conuersio (non enim fit conuersio, nisi in corpus Christi, ita est determinatum id, quod conuertitur, non enim conuertitur in corpus Christi, nisi panis. Ergo sicut ex parte prædicati ponitur nomen, ita ex parte subiecti debet poni nomen, vt dicatur, hic panis est corpus meum.

4. Præterea, Sicut id, in quod terminatur conuersio, est determinata natura (quia est corpus) ita etiam est determinata persona. Ergo sicut ad determinandam naturam, dicitur corpus, ita ad determinandam personam, deberet dici, hoc est corpus Christi.

5. Præterea, In verbis forma non debet poni aliquid, quod non sit de substantia eius. Inconuenienter ergo additur in quibusdam libris hæc conuinctio, enim, quæ non est de substantia forma.

Sed contra est, quod Dominus hæc forma in consecrando est usus, vt patet Matth. 26.

Respondeo dicendum, quod hæc est conueniens forma consecrationis panis. Dicitur enim, quod hæc consecratio consistit in conuersione substantie panis in corpus CHRISTI. Oportet autem formam Sacramenti significare id, quod in Sacramento efficitur. Vnde & forma consecrationis panis debet significare ipsam conuersionem panis in corpus CHRISTI. In qua tria considerantur, scilicet ipsa conuersio, & terminus a quo, & terminus ad quem. Conuersio autem potest considerari dupliciter. Vno modo, vt in fieri, alio modo, vt in facto esse. Non autem debuit significari conuersio in hæc forma, vt in fieri, sed vt in facto esse. Primo quidem, quia hæc conuersio non est successiua (vt supra dictum est) sed instantanea. In huiusmodi autem mutacionibus fieri, non est nisi factum esse. Secundo, quia ita se habent forme sacramentales ad significandum effectum Sacramenti, sicut se habent forme artificiales ad representandum effectum artis. Forma autem artificialis, est similitudo vltimi effectus, in quem fertur intentio artificis, sicut forma artis in materia edificandi.

Obiectio.

Solutio.

Difficult. ar.

Solutio.